

hardt* de Heuchlingen**, professus 1614, factus Her-
bipoli philosophiae magister monasterii sumptibus 1617,
subprior 1620. In Gommersdorf primus officialis reli-
giosus et parochus simul 1621; bursarius 1629;
praepositus in Mergenthal 1630. Sub Suecico turbine
permissus est manere in suo officio in Mergenthal a
comite Crafflone de Hohenloë. Eligitur abbas 1635,
die 5. Februarii, benedictionem abbatialem et mitrae
usum assequi prohibuerunt tumultus bellici. Obiit ergo
1636, die 17. Octobris, sepultus in ecclesia juxta altare
fundatoris. Vir aliqui praeclare doctus, circumspectus
et ad magna idoneus.

[fol. 111^b.] Christophorus Haan***, Bucheimen-
sis†, natus anno 1607, die 12. Octobris, ingressus 1624,
die 25. Aprilis, professus 1625, 7. Septembris. Herbipoli
factus primus ordine magister studuitque theologiae
sumptibus coenobii ab anno 1626 usque 1631. Hinc
lector fratrum et magister novitiorum usque ad irrup-
tionem Suecorum. Sacerdos Eistadii exul ordinatus
1632, 6. Martii, primitias celebravit in monasterio
Altersbacensi‡‡ in Bavaria cum patre Petro Haas. Sub
exilio Suecico variis in locis delituit, maxime Caesareae,
Altersbaci, in Stams, apud s. Urbanum in Helvetia,
inde missus Mediolanum et inde rediens in Helvetiam, per
duos annos cum supradicto p. Petro praefectus fuit curae
sanctimonialium Cisterciensium in Obereschenbach a rev.
domino s. Urbani. Anno 1634 a patre Valentino Opi-
lione, Speciosae Vallis priore, vacante abbatia, missus
Cistercium, comitante p. Burcardo Bruch. Eodem anno
die 16 Maii Maristellae (vulgo Wettingen) instituta ex
mandato rev. Petri Nivelli generalis ordinis electione,
ob vacantem jam 14 mensibus abbatiam Schönthalen-
sem, eligitur abbas, acceptat abbatiam conditionate.
Reversus ad monasterium anno 1635, die 5. Februarii,
resignat; sicque electus est Joannes Leonardus Main-
hardt, praepositus in Mergenthal, de quo supra, praeside
domino Christophoro Källichen, Caesariensi commissario
et abbate in Walsenriede. Pater Christophorus factus
est tunc pistrinarius et parochus in Berlichingen; anno

1635, 16. Octobris, prior; 1636, 28. Octobris, electus
abbas. Anno 1648, die 12. Septembris, compulsus est
ad instantiam archiepiscopi Mogunti Joannis Philippi
a Schönborn* et hortatu superiorum ordinis, in se re-
cipere curam cum baculo abbatiae Eberbacensis in
Rhingavia**, ob imminens periculum tradendae ejusdem
abbatiae alioqui in manus saecularium vel clericorum,
uti pluribus docent ejusdem negotii acta. Detentus
ibidem mansit (visitata interea subinde Speciosa Valle
eaque per vicarium p. Michaelen Diemer administrata)
usque ad 1651, diem 28. Martii. Quo impetrato Mo-
gunti archipraesulis in liberam capitis alterius electio-
nem consensu. Eberbacensi abbatia in manus superio-
rum ordinis resignata atque canonice electo domino
Balthasare Bundt, loci professo, viro tali honore dig-
nissimo (quem utinam! Eberbaco tam necessarium diu-
tius invida mors reliquisset superstitem) ad suam
Vallem Speciosam proprius pastor et pater ad filios,
libere est reversus. Anno 1660 ex commissione rev.
domini Thomae, abbatis Salemitani***, congregationis
superioris Germaniae vicarii generalis, ejus nomine
visitavit Ebracum et 1663 ex simili commissione iterato
idem coenobium. Anno 1665. mortuo domino Vin-
centio, abbate Eberbacensi, ad instantiam Joannis Phi-
lippi, archiepiscopi Moguntini, Eberbacum descendere
compulsus, cum periclitarentur iura ordinis et ipsum
monasterium circa novam electionem, una cum domino
abbate Veteris Montis, vicario generali ordinis, novum
ex gremio loci eligi abbatem, dominum Eugenium, sic-
que jura ordinis, in quantum ibi adhuc vigeabant, con-
servari fecit. — Sacellum beatissimae virginis†††
in Neuses amplificari et ecclesiam in Simmringen de
novo aedificari fecit. — Debitum Hallense nobis per
singulos annos pendendorum, in bello Suecico oblitera-
tum, in comitis Ratisbonensibus apud Ferdinandum III.
recuperavit, ad dimidium. Professus† iubilaeus erat
anno 1675, eodem anno post graves ac diuturnas var-
ias infirmitates ad dominum migravit laborum suorum
praemia accepturus, die 20. Novembris, aetatis suae
anno 68, professionis 50, regiminis abbatialis 40^{mo} in-
choato, sacerdotii 46. Vir in vultu potentium amabilis,
eximiae virtutis, praecipue humilitatis, continui fervoris
in deum et sacrum ordinem, tam studiosus purae con-
scientiae, ut quotidie fere sacrosancta sacramenta poeni-

* Dieser Lebensabriff ist wahrscheinlich von Angelus Leben-
sreit geschrieben.

** Gerschingen, D.-N. Neckarsulm.

*** Auch dieser Lebensabriff ist in der ersten Hälfte von A.
Lebensreit verfaßt.

† Von Buchen im bad. Kreise Mosbach. Dieser, Beiträge
zur Geschichte der Stadt Buchen, führt den Abt Hahn nicht an.
S. Schriften des Alterthumsvereins von Baden, Bd. 2. S. 159.

‡‡ Albersbach im bairisch. Landgerichte Wilschhofen, ehemals
Cistercienser-Kloster.

* Regierte vom Jahre 1647—1678.

** Kloster Eberbach (Erbach) im nassauischen Amte St. Willen.

*** Thomas Schwab von Wechingen regierte von 1647—1664.

† Von hier an scheint Joseph Müller diesen Lebensabriff bis
zur continuatio aliunde communicata fortgesetzt zu haben.